



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De  
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.  
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius  
nunc primum evulgatus**

**Philipp <Eichstätt, Bischof>**

**Ingolstadii, 1617**

III. Aganus seu Agannus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Scribit Adelbertus Abbas Heidenheimensis in commentariolo de eodem Monasterio, sub hoc Gercho Heidenheimense Monasterium, ab ordine S. Benedicti ibidem per S. Wunibaldum plantato, ad canonicos sæculares translatum esse. Quod Anonymus Hasenrietanus Erchenbaldo adscribit, vt infra videbis. Obiit Gerochus IV. Nonas, hoc est, secundo die Februarij anno Redéptoris DCCC. II. In Calendario seu Necrologio, quod Pontificali Eystettensi insertum est, notatur ad VII. diem Iulij. *Irmengart obiit, mater Episcopi. G. quod interpretor Gerochi, nisi quis malit Gundackari.*

### III. Aganus seu Agannus.

*Tertius est Aganus cælesti dogmate plenus.*

Præfuit annis XII. X. vt habet Gundackarus, non vt Bruschanus Catalogus X. VII. Excessit ex hac vita. VIII. Idus, hoc est, VI. die Nouembris.

### IV. Adalungus seu Adelungus.

*Laudibus eximiis Adalung micat ordine quartus.*

Ad Episcopi officium euectus anno Christi DCCC. XIX. Præfuit annis XXII. Finem viuendi simul & gregem Dominicum pascendi fecit VIII. Kal. Augusti, hoc est, die S. Iacobi Apostoli.

### V. Altinus seu Altunus.

*Altine quos pastor sequitur, virtutis amator.*

Iniit Pontificatum anno DCCC. XLI. tenuitq; annis XVII. Mortuus VIII. Kal. Martij, hoc est, XXII. die Februarij. Consensu & auctoritate huius Præsulis, leuatum est ex terra corpus B. Solæ Abbatis, de quo hæc Ermenoldus Diaconus in S. Solæ vita Tom. IV.